

tur forma benedictionis speciali, et incensando pronuntiat orationem cujus verba ita distribuit, ut singulis thuribuli motibus respondeat. In missa solemnī defunctorum, prior incensatio omittitur; posterior fit more consueto.

In missis majoribus, quæ, propter defectum ministrorum, non sunt stricte solennes, nihilominus fiunt apud nos more consueto incensationes, omissis quæ spectant ad diaconum et subdiaconum. Plures autem decisiones S. R. Congregationis id fieri prohibent (13 Aug. 1651, 22 jan. 1701).

Si venerabile Sacramentum in tabernaculo sit occlusum, celebrans illud adorat genuflectendo, juxta rubricam Romanam, sed non thurificat; adoratur enim quod latet, sed id solum incensatur quod manifeste patet. Ita *Gavantus*, *Quarti*, *Merati*, *Romsée* et alii. Consueta igitur thurificatio ad crucem refertur, velut si in altari non adesset tabernaculum.

Ubi sanctissimum Sacramentum est expositum, celebrans, post inmissionem et benedictionem thuris, accepto thuribulo, genuflectit, manu sinistra qua summitatem catenularum tenet, in altare posita, dextra thuribulum inter altare et casulam tenendo, postea in planum descendens, super infimum gradum utroque genuflexus, triplici ductu Sacramentum incensat. Mos est tamen in basilicis almæ Urbis ut genuflexio hæc fiat super ipso suppedaneo, referente *Merati*, dicente hunc morem decenter servari posse in omnibus ecclesiis.

Incensatione altaris completa, diaconus a parte epistolæ stans in plano, facta inclinatione capitis profunda celebranti, eum triplici ductu incensat: deinde, post incensationem Offertorii, incensat duplici ductu chorum, dignitates ecclesiasticas et laicas, per ordinem, juxta rubricas et consuetudines, tandem subdiaconum tenentem patenam. Postea thuriferarius, accepto thuribulo, duplici ductu incensat diaconum, item acolytos, et ter populum.

In missis defunctorum solus incensatur celebrans, et episcopus si adsit.

Non probatur usus duorum thuribulorum in incensa-

tionem personarum, sed tota thurificatio faciendā est unico thuribulo, nisi, ex immemorabili consuetudine, canonici et magistratus simul thurificandi sint. S. Cong. Rit. 15 maii 1608 et 25 julii 1668, apud *Merati*, in Indice, n. 87, 168 et 173.

Eadem Congr. declaravit, 4 maii 1713, in Indice, n. 136, canonicos et dignitates genu flectere non teneri, quando episcopum celebrantem thurificant, nec ad benedictionem ejus suscipiendam; sed tantum caput inclinare.

Modus autem thurificandi personas in Ritu Romano præscriptus, apud nos non servatur.

ARTICULUS NONUS.

DE DEFECTIBUS IN MISSA OCCURRENTIBUS,

1° Inter defectus qui in celebratione missæ occurrere possunt, alii sunt substantiales qui sacramentum reddent nullum, et in materia, forma aut intentione ministri contingunt; alii vero dicuntur accidentales, quia ab substantiam sacramenti non pertinent, nec ejus validitatem impediunt. Multi esse possunt, nec ad certum numerum reducuntur.

2° Unusquisque sacerdos rubricas, tit. de Defectibus, attente legat, discat, memoria retineat, ut, casu adveniente, statim sciat quid sibi agendum sit. Nonnullas tantum communiore difficultates hic exponemus ac solvemus.

3° Si ante consecrationem advertat sacerdos hostiam esse corruptam, vel non triticeam, ea remota, aliam ponat, et facta oblatione saltem mente concepta, prosequatur ab eo loco ubi desiit. Non igitur necesse est eam ante oculos elevare super patenam, neque facere super ea aut cum ea signum crucis.

4° Si post consecrationem id adverterit, posita alia, faciat oblationem ut supra, et a consecratione incipiat, nempe a verbis, *Qui pridie*, etc., et illam priorem, si non sumpserit, sumat post sumptionem corporis et sanguinis Domini;

si sumpserit, nihilominus sumat eam quam consecravit; præceptum enim de perfectione sacrificii majus est quam præceptum de servando jejunio. Eodem modo procedendum est si hostia consecrata casu aliquo dispareat, puta si vento rapiatur, si ab animali comedatur, etc., et reperiri nequeat.

5° Si post sumptionem sanguinis tantum hoc contingat, rubrica præcipit ut novus panis et vinum cum aqua iterum ponantur, saltem in mente offerantur, consecrentur, incipiendo a verbis, *Qui pridie*, et statim sumantur, ne sacrificium maneat imperfectum, et debitus servetur ordo.

6° Celebrans qui ante consecrationem advertit aquam, siceram aliumve liquorem pro vino adhibitum fuisse, aut vinum esse corruptum, hunc liquorem insufficientem deponere debet in vas aliquod, vinum cum aqua statim apponere, et facta oblatione, ut supra, consecrare, incipiendo a verbis, *Simili modo*. Si post consecrationem id advertat, eodem modo agat. Si post sumptionem corporis vel hujusmodi aquæ, novam hostiam et novum vinum cum aqua mixtum offerat, consecret et sumat, vel, ad vitandum scandalum, si plures sint adstantes, vinum tantum cum aqua consecret, sumat et statim prosequatur. Ita expresse rubrica Romana, quæ non facile intelligitur: non videtur enim cur nova hostia sit consecranda, cum prima valide fuerit consecrata.

Rubrica vero Parisiensis et Cenomanensis addit quod si, post commixtionem particulæ hostiæ in calice, celebrans advertat solam appositam fuisse aquam, eam non effundat, sed vinum apponat in majori quantitate, offerat, consecret ut supra, et prosequatur. Si post sumptionem corporis, similiter faciat. Si in sumptione hujusmodi aquæ, sorbeat quod in ore habet, ab ulteriori sumptione cesset, vinum superimponat, in calice offerat, consecret et sumat ut supra. Si vero ea quantitas vini quæ aquam sufficienter superet haberi non possit, aqua deponenda est in vas mundum, ita tamen ut parum illius aquæ cum particula in calice maneat, pro nova consecratione facienda: sic in Missali nostro statuitur.

7° Si materia apponenda, ratione defectus, haberi non posset, et id celebrans ante consecrationem adverteret, ulterius progredi non deberet; si post alterius speciei consecrationem, missa absolvenda foret, ita tamen ut verba et signa ad speciem deficientem pertinentia omitterentur. Si aliquandiu expectando haberi posset, expectandum esset ne sacrificium maneret imperfectum.

De aliis defectibus materiæ, formæ et intentionis ministri sufficienter diximus in prima parte hujus Tractatus, agendo de pane, de vino, de aqua, etc.

Quoad alios defectus, præter multa quæ in decursu Tractatus jam præcavimus vel solvimus, videatur rubrica.

ARTICULUS DECIMUS.

DE HORA QUA CELEBRARE LICEAT.

1° *Missæ ab aurora ad meridiem dici potest*, inquit rubrica, part. 1, tit. 15, n. 1. Non licet ergo, absque legitima causa, celebrare ante auroram, nec post meridiem. Sed nomine auroræ non intelligendus est ortus solis, bene vero tempus illud quod medium est inter noctem et diem. Initium habet in mense junii, fere duabus horis cum quadrante ante ortum solis; mensibus februarii et septembris, hora cum dimidia; in mense martii, hora cum quadrante: in reliquis mensibus, hora cum tribus circiter quadrantibus. Ita *S. Ligorius*, l. 6, n. 341.

2° Communitè docent auctores, ut *Card. de Lugo*, *Suarez*, *Bonacina*, *Tournely*, *S. Ligorius*, etc., quod nulla sit culpa missam terminare in aurora et eam incipere parum ante meridiem, quia tempus auroræ et meridiei non mathematicè, sed moraliter intelligendum est. Imo *Benedictus XIII* declaravit, referente *Bened. XIV*, Inst. 12, n. 3 et 4, latitudinem tertiæ partis horæ, tum ante auroram, tum post meridiem, tolerari posse.

3° Graviter peccat, juxta *Busebaum*, qui sine justa causa citius mane, vel serius post prandium celebrat; *Azor* tertiam horæ partem, *Layman* dimidiam horam, *Bonacina*

tres quadrantes, *Sylvius* horam requirit ut peccatum sit mortale.

4^o Nullum autem est peccatum quando adest causa sufficienter excusans: ita omnes. Porro ut causæ sufficienter excusantes habentur: 1^o funus principis vel alterius magnatis; 2^o si sacerdos propter iter fuit impeditus, integra hora post meridiem missam inchoare potest, juxta *Layman* et alios; 3^o necessitas habendi hostiam consecratam ad dandum viaticum moribundo, quo casu media nocte celebrare liceret, ut communiter docent auctores, teste *S. Ligorio*, l. 6, n. 343; 4^o mos rationabilis jam existens missam ante auroram dicendi, ut opifices et famuli summo mane eam audire possint; ita *S. Ligorius* et plures cum illo, qui nolunt tamen hanc rationem esse sufficientem, ut missa post meridiem celebretur; 5^o causa itineris est sufficiens missam una hora ante auroram vel post meridiem dicendi; ita *Busebaum*, *Concina* et communissime alii: unde inferimus causam studii saltem perutilis, vel ordinem alicujus communitatis pro tali anticipationem sufficienter excusare; 6^o missa solemnem licite protrahitur ad horam et amplius post meridiem, ut multi dicunt, propter processionem, solemnitatem festi, concionem, etc., et post hanc missam solemnem permittitur missa privata in gratiarum actionem; 7^o privilegia quibus nonnulli regulares potiuntur, missam celebrandi usque ad tertiam horam post meridiem; 8^o dispensatio episcopi qui, ob causam rationabilem, permittere potest ut hora missæ anticipetur vel usque ad duas horas protrahatur. Sic multi apud *S. Ligorium*, n. 344. Eandem habent facultatem superiores religiosi respectu subditorum suorum.

ARTICULUS UNDECIMUS.

DE PRÆPARATIONE ET GRATIARUM ACTIONE CELEBRANTIS.

Ad præparationem sacerdotis celebraturi præcipue referuntur dispositiones tum animæ, tum corporis, de quibus in prima parte egimus: quæ enim præcipiuntur fidelibus ad sacram Eucharistiam digne suscipiendam, requiruntur

a fortiori in sacerdotibus ut sanctissima mysteria convenienter pertractent.

Rubrica habet insuper ut « sacerdos celebraturus... saltem Matutino cum Laudibus absoluto, orationi aliquantulum vacet, et orationes inferius positas pro temporis opportunitate dicat. » Unde 1^o non necesse est Primam ante missam dicere; 2^o nec psalmos ac orationes in Missali pro præparatione ad missam positas recitare, cum rubrica his utatur verbis, *pro temporis opportunitate*. 2^o Necesse est, e contra, ut Matutinum et Laudes præmittantur missæ, et quidem sub peccato, quia præceptiva est rubrica. Ita omnes moraliter, paucis scilicet exceptis.

Barbosa viginti numerat auctores qui dicunt hoc præceptum esse tantum sub veniali, et viginti qui contendunt esse sub mortali, inter quos *S. Antoninus* et *S. Raymundus de Pegnafort*, quorum sententiæ adhæret *Gavantus*; nituntur præcipue auctoritate *Innoc. IV* qui, Epist. 5, n. 11, apud *Labbe*, ait « sacerdotes missam celebrare priusquam officium matutinale compleverint non præsumat; » et *S. Pii V*, qui hunc inter graviore defectus collocavit, rub. de Defect., tit. 10, n. 1.

Attamen communior et probabilior sententia est peccatum non esse mortale, quia talis obligatio non exprimitur in rubrica, nec communiter recipitur sub gravi. Sic, inter multos, *Benedict. XIV*, de Missæ sacrif. l. 3, cap. 13; *S. Ligorius*, l. 6, n. 347, etc.

Hinc illi auctores concludunt quamlibet rationabilem causam ab omni peccato excusare, v. g., « si dans elemosinam postulet ut statim celebretur, si exspectet populum aut aliqua persona gravis, si superior præcipiat, si tempus celebrandi transeat, vel instet commoditas studii, itineris et similia. » Hæc sunt verba *S. Ligorii*, n. 348.

Quoad orationem cui aliquantulum vacandum est, omnes fatentur eam non esse de gravi præcepto, et tamen ab omni culpa non excusari qui sine præparatione saltem domi facta ad sacrificandum accedunt. Pii sacerdotes convenientem præparationem mentalem aut vocalem nun-

quam omittunt, nisi hora improviso capti fuerint et tempus ipsis deficiat: tunc, ne populus exspectet, gementes et fervore animi supplentes, missam statim celebrant, curantes ne alia vice in tali angustia constituentur.

De gratiarum actione supra sufficienter diximus. Qui autem exercitio mentalis orationis immediate ante vel post missam vacant, aliam præparationem vel gratiarum actionem facere non tenentur, et talis est consuetudo piorum sacerdotum.

Attamen canticum *Trium Puerorum*, psalmus CXL et aliæ preces quæ in Missali indicantur ut post missam in gratiarum actionem dicendæ, videntur simpliciter præceptæ sicut orationes singulis paramentis correspondentes, quod tamen plures negant. Missale Romanum (*Ritu celeb. Miss. in fine*) loquitur tantum de antiphona *Trium Puerorum* et cantico *Benedicite* dicendis a celebrante redeundo ad sacristiam vel sese exuendo, si paramenta dimissurus sit apud altare in quo celebravit. Postea nihilominus indicat psalmum et preces cum cantico dicendos.

Durandus, l. 4, cap. 59, n. 9, indicat *Benedicite*, *Laudate* et *Confiteantur tibi*, etc. In sæculo XIV eadem quas nunc recitamus præscribebantur gratiarum actiones, et sæculo XVI Pius V eas confirmavit. Plures nihilominus æstimant rubricam ad has preces respicientem esse tantum directivam, nec ideo obligare sub peccato.

Petitur an celebrare missam cum notabili distractione voluntaria, sit peccatum mortale? *Quidam negant*, etiamsi distractio esset sub consecratione vel sumptione, quia, inquit, attentio interna non præcipitur sub gravi. *Alii vero affirmant* quoad ea quæ sunt in canone, et præsertim quoad consecrationem et communionem; quia voluntarie se distrahens in re tanti momenti, gravem irreverentiam Deo irrogat. Ita *Concina*, de Sacrif. missæ, ad finem; *S. Ligorius*, l. 6, n. 410, dub. 5, et plures alii.

ARTICULUS DUODECIMUS.

DE INTERRUPTIONE MISSÆ.

1° Nunquam licet missam post consecrationem unius speciei directe abrumpere, etiam ad vitandam mortem, quia ipsius essentia est de jure divino: unde nec episcopus nec ipse Papa ab illa integritate dispensare potest.

2° Eam vero abrumpere vel mutilare indirecte, seu præter voluntatem, aliquando licet: v. g., furente incendio, irruente hoste ad necandum, etc., posset sacerdos hostiam jam consecratam sumere, vel secum deferre, calice non consecrato, ea intentione ut sacrificium serius compleat si possit; si non possit, excusatur a peccato. *Est sententia communis*.

3° Missam per aliquod breve tempus interrompere licet, ob rationabilem causam: v. g., 1° ob concionem post evangelium, vel ob processionem excipiendam. 2° In gratiam alicujus principis supervenientis, aut turbæ peregrinorum in die festo qui alias missam audire non possent: idem fieri posset in adventu episcopi, aut cardinalis, aut processionis populi: ita *S. Ligorius* et plures apud ipsum, 3° Si gravis urgeret necessitas, vel propria, v. g., morbus; vel proximi, ut si moribundus, in propinquo positus, baptizandus aut absolvendus esset, et vestes sacras exuere opus non foret; secus, celeriter et tamen reverenter absolvenda esset missa, et statim properandum ad periclitantem. Vide Coll. Andeg. et *S. Ligorium*, l. 6, n. 354. Sacerdos ad sacrificium revertens, incipiet ubi desierat; si ante consecrationem interrupisset et mora plus quam unius horæ fuisset, ab initio ordiri deberet, quia, post talem interruptionem, idem non censeretur sacrificium. Ita *S. Ligorius* et plures alii. Supponitur quod interruptio non provenerit ex concione vel ex aliqua cæremonia juncta cum ipsa missa, quia tunc unitas moralis servatur.

4° Si celebrans ante consecrationem deficiat, alius sacerdos missam continuare non debet, juxta communem sententiam; si post consecrationem, sive utriusque, sive

unius speciei, et ante sumptionem utriusque, alius sacerdos etiam non jejunos, et, defectu aliorum, excommunicatus, interdictus, irregularis, supplere debet, si absque gravissimo incommodo possit et intra spatium unius horæ accersiri valeat. Post horam non supplendus est celebrans deficiens, quia idem non censeretur sacrificium. *S. Ligorius, l. 6, n. 355.*

5° Si excommunicatus denuntiatus sacro assistere vellet et expelli non posset, aut si tempore sacrificii ecclesia pollueretur, ante Canonem, missa statim abruptenda esset: incepto Canone, proseguendam foret usque ad communionem inclusive, populo dimisso soloque ministro remanente cum presbytero, et, communionem facta, omnia asportanda essent in sacristiam vel in alium locum vicinum, ut ibi compleretur liturgia. *Conf. d'Angers, Censures.*

FINIS TRACTATUS DE EUCHARISTIA.

TRACTATUS DE POENITENTIA.

Morbus universalis quo omnes humanæ mentes in prima origine inficiuntur, curatur quidem ope remedii Baptismatis, sed non ita radicitus ut quædam non adhuc inhæreant naturæ nostræ vitii reliquæ ad malum impellentes. Certe, iis non obstantibus, immensum regenerationis beneficium perpetuo servare possemus; verum, proh dolor! ubi sunt qui illud non lædant, qui vel semel in decursu vitæ non amittant? Si ergo Deus limites misericordiæ suæ imposuisset, et aliud nobis non suppeditasset medium e lapsu assurgendi et ad eum redeundi, quid nobis sperandum foret? Ut quid cœlitus vocati, illuminati et gratiæ participes effecti fuisset, cum nihilominus, veste nuptiali denudati, in tenebris exterioribus æternaliter flere deberemus? At Deus, cujus bonitatis infinitus est thesaurus et misericordiæ non est numerus, nobis naufragantibus manum porrexit et secundam exhibuit tabulam, qua apprehensa et fortiter tenta, iterum salvaremur. Hæc est Pœnitentia.

Vox ista venit a *pœna et tenere*, quasi diceretur, *pœna teneri* aut *pœnam tenere*, quia juxta vulgarem sensum huic voci annexum, peccator vere pœnitens, non solum de actu præterito respicit, sed illum odit, detestatur et pro illo expiando pœnam exsolvit. Eo sensu Christus ait, apud S. Lucam, x, 13: *Si in Tyro et Sidone factæ fuissent virtutes quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio et cinere sedentes pœniterent.*

Multis testimoniis probat doctissimus P. Morinus, in magno opere de Administratione sacramenti Pœnitentiæ, l. 1, c. 1 et 2, non solum apud Græcos, sed apud Syros et Chaldæos, imo apud Hebræos et Rabbinos, verbum voci Latinorum *pœnitentiæ* correspondens, eodem sensu